

ARTICULUS VIII.

Utrum Ecclesia Christi debeat Judæorum canonem recipere, solosque illos libros habere sacros quos ipsi in suo canone habebant.

VIDETUR quòd sic. PRIMÒ, quia Judæis credita erant eloquia Dei ad Rom. 3. ergò libri, qui non fuerunt eis concediti non sunt Dei eloquia, ac per consequens Ecclesia non potest eos ut sacros recipere.

SECUNDÒ, Vetus Ecclesia fuit contenta libris sacris in Judæorum canone comprehensis: ergò ipsdem contenta esse debet Ecclesia Christi.

TERTIÒ, Vetus scriptura distribuitur à B Christo in legem, Psalms, & Prophetas, Luc. 24. Libri autem quos catholici in suo canone habent, non comprehenduntur sub aliquo istorum membrorum: ergò non sunt admittendi.

QUARTÒ, Scriptura veteris testamenti habet testimonium à Christo, Evangelistis, & Apostolis, aut saltem ab illis citantur: ergò libri qui non habent tale testimonium, nec citantur in aliqua parte novi testamenti, non debent recipi ut sacri.

QUINTÒ, Veteres Patres, Hieronymus, Hilarius, Nazianzenus, Cyrillus Jerosolym. Athanasius, Synodus Laodicena recipiunt canonem Hebræorum: ergò & nos debemus eum recipere, nec ei quidquam addere.

SEXTÒ, Aug. lib. 2. de doctr. christiana, cap. 8. inter libros canonicos, dicit aliquos esse majoris autoritatis, quàm alios: ergò non omnes sunt divina & canonica scriptura; cùm scripturæ illius quæ verè canonica est, idem Deus sit author, ipsaque idè ejusdem sit autoritatis.

Responso ad Articulum.

RESPONSIO certa est, Ecclesiam Christi non debere Judæorum canonem recipere, illisque solis libris contentam esse, quos Judæi in suo canone habuerunt.

PROB. 1. quia neque Judæi neque Judæorum Synagoga quæ quam præscripsit (uti nec præscribere potuit) Ecclesiæ Christi, quo ipsa obligata esset eos solos libros pro sacris habere, quos Judæi pro talibus in suo canone receperunt.

PROB. 2. Certum est Spiritum sanctum non minùs adesse Christi Ecclesiæ, quàm olim adfuerit Synagogæ. Certum quoque, Ecclesiam non minorem habuisse autoritatem ad statuendum sacrorum librorum canonem, quàm olim habuerit Synagoga: quos igitur libros Ecclesia in canonem sacrum retulit, credendum est legitime esse relatos, ac per consequens illi sunt ab omnibus ut sacri & canonici recipiendi.

Prior pars Antecedentis patet ex Joan. 14. *Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecumque dixerò vobis.* Et cap. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quibus & illa promissio conformis est, *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

PROB. posterior, quoniam Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, 1. ad Tim. 3. & , portæ inferi non prævalerunt adversus eam, Matth. 16. prævalerent autem, ipsaque à veritate deficeret, si

A aliquos libros reciperet ac recipi juberet ut sacros & canonicos qui non essent tales.

DENIQUE, Ecclesia de factò sacrorum librorum canonem statuit, eumque & diversum à canone Judæorum, & conformem antiquorum Patrum scriptis, ut art. 9. videbitur: ergò non tenetur stare canonì Hebræorum.

Confirmatur, quod universa tenet Ecclesia, velle disputare an ita sit tenendum, insolentissimæ insaniæ est, teste B. August. epistola 118. Cùm ergò tota Ecclesia teneat canonem diversum à canone Judæorum, dubitari non potest, quin ita sit tenendum.

Responso ad Argumenta.

AD 1. ARG. RESP. Neg. Conf. quia etsi Judæis solis olim concedita essent eloquia Dei, sic ut non reliquis populis; non tamen dicit Apostolus, quibus libris ea eloquia continerentur; uti nec dicit quod omnia omninò Dei eloquia sint Judæis credita seu commissa, quodque propterea nulli libri sint pro Dei eloquijs habendi, quàm quos Judæi receperunt: Alioquin ipsiusmet Apostoli epistolæ, sancta quoque Evangelia, & generaliter totum novum testamentum à Dei eloquijs esset excludendum: quod nemo sanæ mentis dicere potest, cùm constet etiam Christi Ecclesiæ commissa esse divina eloquia, non minùs quàm Synagogæ. Deinde, licet Judæi quosdam veteris testamenti libros non receperint, ut sacros & canonicos; non ideo tamen ipsi vel desinebant esse sacra Dei eloquia, vel non erant illis traditi: sed cum eis traditi essent, hoc non agnoverunt, ideoque nec pro talibus receperunt.

AD 2. Si Anteced. intelligatur de veteri Ecclesia, quæ fuit à Moyse usque ad Christum (quomodo ut verum sit, debet intelligi) RESP. Neg. C. partim quia sequeretur alioquin nullum novi testamenti librum esse recipiendum ut canonicum, cùm Ecclesia vetus eorum nullum haberet; partim quia Ecclesia Christi pluribus dominis abundat, quàm vetus Synagoga.

AD 3. Neg. quoque est Conf. Quoniam Christus vel in loco objecto non distribuit totam scripturam veterem; sed eam tantum quæ de ipso loquitur: *Neceesse est (aiebat Luc. 24.) impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Vel sub illis tribus tamquam partibus principalibus complectitur totam scripturam veterem, ita ut per Prophetas intelligantur omnes libri à Pentateucho & Psalmis diversis, sive sint historici, sive sapientiales, sive propriè loquendo Prophetici: Alioquin qui sic objiciunt, deberent excludere à canone libros Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Esther, Proverbiorum, Ecclesiastes, Canticum; Nam hi propriè nec sunt legales, nec Prophetici, nec Psalmi, quos tamen etiam Judæi receperunt.

AD 4. RESP. etiam Neg. Conf. PRIMÒ, quia antecedens solum est indefinitè aut particulariter verum: Nam libri Estheris, & primus ac secundus Esdræ, neque habent in novo Testamento testimonium, neque in illo citantur, uti nec Sophonias, Abdias, Ecclesiastes; & tamen Judæorum quoque judicio omnes sunt sacri.

SECUNDÒ, quia neque Christo, neque Evangelistis ut Apostolis propositum erat, omnes

Ecclesia non debet habere canonem Judæorum.